

SVMMARIVM  
CONSTITVTIONVM,  
DECLARATIONVM,  
ET ORDINATIONVM,

Pro regimine sacri ordinis Prædicatorum.

ADIECTIS PARTICVLIS PRIVILEGIORVM,  
& Constitutionum Sedis Apostolicæ, necnon decretorum  
Conc. Trid. ac sacrarum Congregationum DD.  
Cardinalium iuxta cuiuslibet tractatus  
exigentiam.

ITEM SVMMARIVM

Constitutionum, & Ordinationum emanatarum pro bonis  
moribus Monialium, ac Personarum tertij habitus sub  
cura eiusdem ordinis existentium,

Collectum labore, & studio P. Mag. F. Petri Martyris Festi  
Vree ani eiusdem ordinis professoris,

Nunc de novo à multis erroribus expurgatum & auctum ex capitulo generali  
Bononia Anno 1615. celebrato opera & expensis R. A. Patru Magistri  
F. THOMÆ MARINI Prouincialis terra sancta ac per  
Germaniam Commissary Generalis & Ord. Prædici.



ANTVERPIÆ,  
Apud Henricum Aertssium,

CIO. IDC. XIX.



*Handwritten notes:*  
S. Do.  
Joannes  
Homen

*Handwritten notes:*  
F. Petri Martyris Festi

BEATISS. PATRIARCHÆ  
DOMINICO GVSMAÑO  
HISPANO,

Ordinis Prædicatorum institutori, & patrono,  
FR. PETRVS MARTYR FESTVS VRCEANVS  
eiusdem ordinis alumnus.



*N* duxit me ad hoc Summarium coadunandum Sanctiss. Pater multiplex ratio. Primum quidem, quia in comitijs generalibus Romæ coactis anno 1608. commissum Patribus requiritur, vt studio eruditorum aliquot Patrum ex diuersis prouincijs scelectorū illud conscriberetur, & publicaretur. Deinde quia Ad R. Pater Vicarius generalis ordinis tunc, nunc ob egregias eius virtutes, & multas res benè gestas, præcipue in Sanctiss. Inquisitionis officio, Reuerendiss. P. F. Seraphinus Siccus Papiensis ordinis tui Magister, & Moderator, monitis suis tampridem huic operi ad auxilium præstandum suavit, Demum vt quasi sine ordine dispersa, sub diuersis capitibus collecta, facilius quærentibus inuenta apparerent. Partes igitur Prouinciæ meæ vtriusque Lombardiæ qualis qualis ego sim agens hoc Summarium edidi. Edant & alij, vt tandem completum, & perfectum prodeat ex pluribus, ad facilius mores religiosorum tuorum componendos. Interim verò spem illam miram quam dedisti mortis hora te flentibus, dum post mortem promissisti te profuturum fratribus, imple, nos tuis iuuans precibus. Et qui tot signis claruisti in agrorum corporibus, nobis opem ferens Christi agris medere moribus: Et mihi, qui tibi hos labores libenter offero, in mei erga te obseruantia pignus, impetrare digneris ab altissimo D. Deo criminum remissionem. Amen.

# S V M M A R I I

## Pars Prima

### DE ORDINIS PRÆDICATORVM INSTITVTIONE, CONFIRMATIONE ET PRÆSTANTIA.

De Constitutionum editione, obligatione, & dispensatione, de ædificiis & Ecclesiis ac illarum cultu, & de moribus ac viuendi modo fratrum.

*De ordinis Prædicatorum institutione,  
& Confirmatione.*

#### CAPVT PRIMVM.



Anno Domini 1203. tempore pontificatus Innocentij III. B. P. Dominicus Ordin. Prædicatorum Magister, & institutor, natione Hispanus, de villa quæ dicitur Calaroga Oxomensis diœcesis, familia nobili Gusmanorum, vir scientia Dei plenus, vita sincerus, religione conspicuus, cœpit suum ordinem mente concipere in partibus Tholosanis, si quidem eo tempore duodecim Abbates ordinis Cisterciens. cum Apostolicę sedis Legato, missi sunt à Summo Pontifice ad eas partes, vt fidem Catholicam prædicarent, & hæretica venena Albigenensium, quæ ea loca infecerant, pro viribus propulsarent, quibus de Hispania adiunctus fuit Didacus Oxomensis Episcopus, & hic in comitatu suo habuit B. Dominicum. Post biennium autem redeuntibus ad propria D. Legato, Episcopoque Oxomensi, & aliis duodecim Abbatibus prædictis, B. Dominicus cum paucis sibi adherentibus permansit ibidem, prædicationi, & hæresum impugnationi insistendo ferè per annos decem, vsque ad tempus Lateranensis Concilij, quod fuit celebratum anno Domini 1215. sub eodem Innocentio III. profectus est autem vir Dei cum Fulcone Episcopo Tholosano ad dictum Concilium, Innocentiumque adiit, & petiit confirmationem ordinis, qui Prædicatorum diceretur, & esset, cui non acquiescenti, nocte visum est in somnis Ecclesiam Lateranensem grauem minari ruinam, & ex aduerso virum Dei Dominicum occurrere, humerisque totam illam casuram fabricam sustinere. Quapropter vigilans, & visionem intel-

ligens

I

# S V M M A R I V M C O N S T I T V T I O N V M E T O R D I N A T I O N V M

Editarum pro bono regimine Monialium, ac personarum tertij habitus, sub cura fratrum Ordinis Prædicatorum existentium.

*Adiectis etiam particulis, decretorum Sedis Apostolica, maximè Concil. Trid. & sacrarum Congregationum DD. Cardinalium, tum Conc. tum etiam Regularium.*

Quæ ad earum vitam componendam  
spectare videntur.

*De Monialium ordinis institutione. CAP. I.*



Ater S. Dominicus, instituto ordine Prædicatorum ex vitis costante, animum appulit æstuans pro salute animarum omnium, vt ab huius seculi tenebris & laqueis, foeminei sexus personas eriperet, ideo accersitis multis virginibus, quæ soli Deo vacare cupiebant, eas à mundi tumultibus sequestrauit, & in monasteriis inclusit, seipsas per tria religionis vota offerentes. Et in primis monasterium Prulianum adeptus, quod est in Tholosana prouincia situm, in eo quam plures virgines inclusit, & domino consecrauit, vt spiritualibus armis contra principem tenebrarum fortiter dimicarent. Subindè Romæ consilio summi Pontificis, quasdam moniales, quæ cum libertate per ciuitatem pergebant, in monasterio S. Sixti, quod ipse cum fratribus suis incolebat reclusit. Successu postea temporis, harum sanctimonialium numerus & monasteria per diuersas mundi partes dilatari & augeri ceperunt.

De horum duorum monasteriorum Pruliani. s. & Romani erectione ita fatur S. Antoninus. 3. par. hist. cap. 22. §. 2. & §. ij. Erant in illis locis Tholosanis, nobiles quidam, qui egestate compulsi, filias suas tradebant hereticis nutriendas, quarum perniciosum miseratus opprobrium, D. Dominicus Monasterium Prulianum instituit, vbi ancillæ Christi sub perpetua clausura, sub obseruantis mirabilibus, sub arcto silentio, manibus operantes, in puritate conscientiarum, creatori suo iocundum exhiberent famularum, Quæ cum merito, & numero